

August Varenius

Aeterno Aeterni Patris Et Filii Spiritui Sancto, Benedicto Domino Israelis. Sacrum Pentecostale

Rostochi[i]: Kilius, [1665]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735661391>

Druck Freier  Zugang



ÆTERNO ÆTER-
NIPATRIS ET FILII SPI-
RITUI SANCTO, BE-
NEDICTO DOMINO
ISRAELIS.

SACRUM
PENTECO-
STALE

Publicè propositum
ab

AUGUSTO VARENIO,

RECTORE Universitatis Rostoch.

Collegii Theologici h. r. Decano & Con-
sistorii Ducal. ASSESSORE,

Anno clōlc LXV. ipso die Pentecostes.



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Ucentesimus & duode-
cimus hoc ipso Mense labitur annus
ex quo lamentabile, quod jam inde à
Carolo M. discretum fuerat ab Occi-
dente, Orientis Imperium, expugna-
tâ, terrâ mariq; quæ ducentisferè su-
pra millenarium annis à Constantino
I. cui cognomen Magni, ad Constan-
tinum VII. cui ob militarem ante ex-
pugnatam Heracleam fortitudinem
Draconis fuit cognomentum, sedes fuerat Orientalium Cæsa-
rum, religionis arx, & propugnaculum, CONSTANTINOPO-
LLI, conculcato in angustiis portæ, cumq; paludamento cogni-
tus esset, iussu Tyranni per caput abscissum paloq; affixum, ne
quid ludibrii deesset, ostentato Dracone Cæsare, Ducibus, Co-
mitibus & illustribus quibuscunqve, ipsis etiam post promiscua
stupra Matronis ac Virginibus, aliisq; Christianis in conspectu
Tyranni (fuit hic *Muhammedes II. Successor Amurathis*) tanto
numero jugulatis, ut celsissimarum fornicum templorum
summitates exæqvaverint cadavera, destruxerunt Turci. Fa-
ctum istud, non, prout ex Mercatore Bellarminus habet *Anno*
1452. die 28. Maji: sed anno 1453. die 29. Maji feriâ tertiâ. *Cau-*
sam terribilis iudicii Bellarminus tribuit Græcorum Schismati,
circa dogma de processione Spiritus Sancti: *Ut intelligant cau-*
sam exitii sui esse pertinaciam in errore de Processione Spiritus San-
cti, in ipsis feriis Spiritus S. capta fuit Constantinopolis à Turcis, Im-
perator occisus, & Imperium omninò extinctum. Iudicium Bellar-
mini nunc non excutimus post errorem Chronologicum, qui
p: rimit conjecturâ. Nec periculo caret, quod ab eventu petitur
argumentum, cuius testes, qui pro re Christianâ scripserunt
quondam contra Gentiles, casus minùs prosperos errori Chri-
stianæ

rianæ religionis imputantes, quâ de re vid. Cæcil. apud Minut.
in Octavio, Arnob. lib. 2. contra gentes, conf. Isid. pelus. l. 4. Ep.
58. sed & aliquid invidendi monstri videtur alere, domesticisq;
Bellarmini viribus, ruere, quoniam ingens de fallaciâ causâ dubium
relinquere, quicquid. id est iudicii Bellarminiani de funere la-
mentabilis regni. Si enim dogma de æqualitate divinarum per-
sonarum, de Processione Spiritus S. à Patre & Filio ita habet, ut si solis
pugnandum sit Scripturæ testimoniis, nunquam lites cum protervis fi-
niri possint, nec de sensu dogmatis aliquis esse potest certus, nisi acce-
dat Ecclesiæ traditio (quod vult alibi Bell. l. 4. de V. D. c. 4.) non
apparet, quomodo sibi constet illud rationarium temporum
Bellarmini de novissimâ calamitate Græcorum Pentecostali, vel
quomodo *Deus amulator & ultor Dominus*, adeo terribili consu-
matoq; iudicio potuerit attonare Constantinopolitanos cæte-
rosq; Græcos, salvâ fide summæ divinitatis & majestatis S. Spiritus
non admittentes dogma, cujus sensus constare non pot-
est ex illis Scripturarû pandectis, in quibus *omne Dei Consilium*
superabundanter revelatum continetur, & quibus *addens sibi*
plagas accumulare, prout *ablativo* tali casu nihil aliud effice-
re dicitur, quàm ut *auferat Deus partem ejus è libro vite, ex*
urbe illâ sanctâ, & ex iis quæ scripta sunt, in libro isto. Multo mi-
nus illud constabit si quod iterum largâ manu concedit Bellar-
minus l. 2. de Christo c. 28. *non semper necessarium fuit, non cre-*
dere, non esse à Filio Spiritum S. Scilicet, si *antequam definiretur*
questio (factum autem hoc in Concilio Florentino, currente
Seculo XV. Præsidente Eugenio IV.) *satis erat credere, Spiritum à*
Patre procedere, nec erat opus querere, an à Filio procederet, nec ne?
quia non tenemur omnia scire, nec adeo ante remedium erroris Flo-
rentinum necessarium fuit Græcos credere Spiritum S. à Patre Fi-
lioz, procedere: si, quod habet Scholasticorum Primicerius Lom-
bardus distinct. XI. in Symbolo fidei, quod Leo III. Romæ transcri-
ptum in tabulâ argenteâ post altare B. Pauli positâ posteris reliquit pro
amore & cautelâ fidei orthodoxæ in Processione Spiritus S. solus com-
memoratur

memoratur Pater, his verbis: Et in Spiritum S., Dominum & vivifi-
cantem, ex Patre procedentem, si (prout idem l. alleg. liberalissime
& vel ultra fas concedit) cum non sit aliud, Spiritum S. esse Patris vel
Filii, quàm esse à Patre & Filio, Graeci consuetes Spiritum S. esse Fi-
lii, sicut & Patris, in eandem etiam in hoc cum Latinis fidei sententi-
am convenire videntur, licet in verbis dissentiant, quis crediderit
propter vocabulare bellum factum quod l. de Script. Eccles. p.
117. Bellarminus exprimit his verbis: Constantinopolis capitur à
Turcis anno 1452. in ipsis feriis Pentecostes, sic Deo ulciscente perfidi-
am circa processionem Spiritus S. à Patre & Filio. Quis inquam,
visceribus miserationum Dei & Φιλοθρησκίαι convenire præ-
sumat, ob dogma, cujus ignoratio consistere potuit cum fide
omnium Sanctorum V. & N. T. adusque Concilium Florenti-
num & Schismaticum Antipapam Eugenium IV, vel, ob solius
loquela dissimilitudinē, Deum, deinceps descensurū in excan-
descendētia tremendum Theatrum, adeò ut velut inundatione
transeunte, objectosq; obices Peloponnesiacos transgrediente
internecionem faceret urbis incomparabilis, & quæ olim primum
pulcherrimumq; pro summâ divinitate & majestate S. Spiritus
candidis velis explicuerat signum Symbolicum, debellato sc.
πρόμαχον Antesignano Macedonio, qui primus apertè ac
pertinaciter SPIRITUS S. θεότητι paucis post Nicænum conci-
lium annis oppugnare est ausus, contra hunc addens symbolo
Nicæno (in quo hactenus nihil aliud de SPIRITU S. lectum re-
periebatur præter illud: καὶ εἰς τὸ ἄγιον πνεῦμα. Et in SPIRITUM
SANCT.) sequens sanctissimi Spiritus præconium: τὸ κύριον, τὸ
ζωοποιόν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκποδόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπρο-
σκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. i.e. Domi-
num, vivificantem, QUI EX PATRE PROCEEDIT, qui cum Pa-
tre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per
Prophetas, illam, inquam, Constantinopolin Imperialem, novissi-
mam in ipsis Feriis Pentecostalibus plagam passam ob solam
diversam de Sancto Spiritu phrasin? Quis non potius obnoxii-
am

am cœlesti iudicio, plagasque cœlestes meritam crediderit, ipsorum scholasticorum curiositatem, quâ penetrare tentant illam majestatem ad quam obvelant facies Seraphini, solâ designantes voce, quod oculis usurpare non possunt, dum clamant volantes circa thronum velati: SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. Tales sc. illæ sunt quæstiones, utramq; paginam in Theologiâ Scholasticâ facientes, & incomparabiliter magis ipsis Græcis hic de mysterio deminuentes, *An sc. ex pluralitate productionum sufficienter possit probari, dualitas productorum, seu duorum ὁμοουσιότητων distinctorum?* *An Spiritus S. referatur ad Patrem per Filium?* *an Spiritus S. producat de Patre & Filio per modum voluntatis, Filius verò de Patre per modum naturæ?* *an productio cujuslibet personæ fiat per modum intellectus quoq; & voluntatis?* *An Spiritus S. producat liberè, an naturaliter?* *Quomodo paternitas, identificetur cum spiratione activâ, & tamen spiratio activâ sit in Filio?* *quomodo cum spiratio activâ, in duobus distinctis suppositis sit una & eadem, ex distinctis tamen suppositis distingvatur paternitas & spiratio passiva.* Quis dubitarit, dilectum nostrum, qui pascit in liliis, nihil odoris bonæ fragrantia, nihilque retinaculi reperissè in his scholasticorum loliis, quin fuisse hæc inter illa *παραιολογίας* exempla, per quæ fugatur Sanctus Spiritus? Resolvitur illud terribile decretum Bellarmini de Constantinopolitanis, *ob negatam processionem Sancti Spiritus ex Patre Filioq;*, in ipsis feriis Pentecostes Mahometis gladio crudeliter excisis, in tria principia Papistis domestica, quæ sunt *Traditio, Concilium generale* (e. c. Florentinum) *Pontifex* (Eugenius IV.) quæ ne pereant, opus erat adeò terribili apparatu vel exterminii cœlestis præiudicio, & nihilominus incomparabili dispensatione apud omnes credentes ante Florentinos, quos scil. non attonuisset DEus iratus, quia tunc nondum definiverat tale quid Eugenius IV. Intererat imprimis ad legitimandum in magno Antipaparam Schismate vel ipsis purpuratis Basileensibus ignotum diu Eugenium IV. quod Reipubl.

Papistica arcanum nec ipse Bellarm. dissimulat lib. 3. de Eccles. militante c. 16. *Basileense*, inquit, *Concilium initio quidem fuit legitimum: nam & Legatus aderat Romani Pontificis & Episcopi plurimi: at quo tempore Eugenium deposuit, & Felicem elegit, non fuit Concilium Ecclesie: Sed conciliabulum schismaticum, seditiosum, nullius prorsus auctoritatis. Proinde Eugenius semper fuit verus Pontifex.* Ita sc. erat parentandum Eugenio, qui quia in Florentino Concilio, *praesidebat assidentibus Episcopus Latinis, & Graecis sine comparatione pluribus, imò presente ipso Graecorum Imperatore (Johanne, Manuelis primogenito) & Legato Imperatoris Latinorum, definit, dogma de Spiritu S. à Patre & Filio procedente, proinde vel persevero coeli judicio terrendus erat Græculus, ne Majorum exemplo vel errore pertinaci defenderet contradictorium illius, quod definiverat Eugenius, cū Concilio Florentino, vel ab illo decreto synodico temerè resiliret, sibi que perfidia characterem imprimeret.* Pertinet huc par specimen Bellarmini, qui Concilio Basileensi, cujus nunc *nihil scribit esse ratum & probatum* l. 1. de Conciliis & Ecclesiâ c. 7. nunc *initia legitima* fuisse, concedit l. 3. de Eccles. milit. c. 16. affectum testaturus eo nomine, quod in Pontificem sententiam pronunciare ausum esset: *DEUS*, inquit, *sententiam quoq; suam dicere volens tam horribili peste Basileam tunc affligebat, ut major pars eorum Patrum, qui tunc ibi erant, vel extincti, vel secedere coacti fuerint.* Latet sub hoc divini judicii (sic Bellarminus vocat) argumento, quod longè magis intestabile Romanis, indictum sc. jam olim, vel in ipsis præludiis mysterii *ἀνομιᾶς*, immensæ invidendæque Papali ambitioni & Monarchiæ Romanæ bellum ex oriente, & ipsâ inprimis Constantinopolitana sede, propter quod reciprocis excommunicationibus jam dudum disjuncti, disjunguntur quoque in ipso dogmate de Processione Spiritus S. unde, quicquid exitii Græcis & olim voverunt & nunc quoq; voverent Romani, sub splendidiori læsæ sc. per Græcos majestatis S. Spiritus schemate malunt incedere. Inde illæ immodicæ
Roma-

Romanæ felicitatis & Græcorum calamitatis exaggerationes, sc. per IIX. secula apud Græcos nullum concilium, nullum sanctum, miraculis illustrem, Viros Doctos non nisi paucissimos, religionis & fidei Græcorum decremента quotidiana, imperium destructum, libertatem miserrimâ servitute, gravissimoque captivitatis jugo Turcico sine spe recuperanda, permutatam, cum apud Latinos per DCCC. annos XII. fuerint Concilia generalia, quorum novissimum Tridentinum, viri singulis atatibus miraculis clarissimi, religiosorum ordines novi, doctissimorum longè plurimi, fides accessione Indorum orientalium, & novi orbis in occidente propagata, florentia regna & imperia potentissima. Unde tanta fundi Græcorum calamitas. Quia, verba sunt Bellarm. præfatione de R. Pontif. *Græci carent eo Duce ac Rectore, qui solus potest ac debet fratres omnes in fide confirmare, & Ecclesiã universam in fide retinere.* Quis autem Dux vel Rector ille, qui rem tantam SOLUS POTEST præstare? Respondet audacter Bellarminus: CHRISTI VICARIUS inter fundamenta (quæ sunt Apostoli) positus excellens & singularis quidam lapis (Simon Petrus, omnesque in sede Petri longo ordine successores Romani Pontifices, qui adeò sunt) lapis ille Isaianus, (non obstantibus ipsorum Pontificum Schismatis gravissimis, & plurimis, prodigiosis item flagitiis) lapis probatus angularis, (propter infinitum honorum thesaurum, qui à Petri sede in omnem Ecclesiam copiosissimè atq. uberrimè derivatur,) pretiosus, in fundamento primario (quod est Christus) fundatus (usque adeò ut ad Christum non perveniatur nisi per sedem Petri) Adversariis autem (Græcis sc. schismaticis & Lutheranis ferre nolentibus ut unus mortalis, quo nec eruditione nec probitate se judicant inferiores, fundamentum dicatur Ecclesia, super quod tantum, tam ingens, tam sublime, tam immensum collocetur ædificium) lapis offensivus & Petra scandali. Talem scilicet Primatum R. Pontificis, qualem non sine crimine læsæ majestatis Filii hominis sedentis ad dextram Patris, cui soli debentur elogia

gia illa Isaiana c. 28. 16. ad Rom. c. 9. ult. transcribit papalis Parasitus Bellarminus, quia Græci ferre noluerunt, & hic Romano Præsuli possessionem vel Usucapionem, ne quieta foret, perpetuis contradictionibus per omnia secula interturbarunt (cujus testis libellus Græcè scriptus à Nilo Thessalonica Archiepiscopo adversus primatum Romani Pontificis) hinc interpretationes & imprecationes illæ Romanæ, per quas ostendunt indolem veterum Esavitarum *stantium ex adverso, & latantium de Jbudeis, quo die captivas abduxerunt extranei copias ejus, quumq; alienigena ingressi portas fratris Jacobi, super Jeruschalem projecerunt sortem, imò magnificentium os suum, quo die peribant Fratres.* Obadia c. un. v. ii. 12. Confessorem veræ odii causæ Bellarminus, ipse dat, & non dissimulat, quàm in ipso apparatu & limine futuræ Monarchiæ Romanæ contradictum fuerit à Græcis: *Primi, inquit, qui serio Primatum Rom. Pontificis oppugnarunt, videntur fuisse Græci. Ipsi enim jam inde ab anno Domini CCC LXXXI. Episcopum Constantinopolitanum, qui antea ne Patriarcha quidem erat, tribus Patriarchis anteponere, & secundum à Rom. Pontifice facere voluerunt. Deinde anno CCCCLI. eo Græci non contenti, Episcopum Constantinopolitanum Rom. Pontifici parem efficere sunt conati: nam in Synodo Chalcedonensi Act. 16. definiunt Græci Patres, non tamen sine fraude & absentibus legatis Romanis, Constantinopolitanum Episcopum ita secundum à Romano esse debere, ut tamen habeat æqualia privilegia. Nec vel hoc contenti, circiter annum DC. Episcopum Constantinopolitanum, appellare cæperunt Oecumenicum, i. e. orbis terra sive universalem Episcopum. Denique anno M LIV. aperitè pronuntiarunt, Rom. Episcopum, propter additionem particula FILIO QVE ad Symbolum Constantinopolitanum, ex sententiâ Synodi Ephesina, quæ id prohibuerat, de suo gradu excidisse, & jam summum ac primum omnium Episcoporum esse Pontificem Constantinopolitanum. Sed ad institutum, à quo nos abduxit judicium Bellarm. de calamitate Constantinopolitanâ in ipsis feriis Spiritus S. parum sincerum, redeundum. Scrutari judiciorum*
via-

viarumq; divinarum inscrutabilia, vel impervestigabilia fas
haut est. Permittenda hæc sunt Sancto Spiritui, ipsas *profundi-
tates Dei perscrutanti*. Excusamus potius ipsi vias recessusq;
nostros, exploratores, annon in nostris quoque feriis Paschali-
bus fuerint, & vel in ipsis Pentecostalibus supersint, ob quæ
SANCTUS SPIRITUS asperatus acclamare nobis possit illud
antiquum: *Statas ferias vestras odit anima mea, sunt mihi laborio-
sa, defessus sum ferendo. Quod advenitis, ut compareatis in conspe-
ctu meo: quis quæsit hoc à manu vestrà, ut conculcetis atria mea?
En ad contentionem & jurgium convenitis, & ad percutiendum pu-
gno improbissimo: vel Servatoris illud Hierosolymitanis o-
lim dictum: Putatisne hos Galileos (Constantinopolitanos) præ
omnibus peccatores fuisse, quod talia sint passi? Nequaquam dico
vobis: imò nisi resipiscatis, omnes itidem peribitis*. Illud enim de
SANCTO SPIRITU, vel ex ipso Constantinopolitanæ cladis
exemplo tenendum: quàm blandissimi illius SPIRITUS ex in-
effabili illâ flagrantissimâq; SS. Trinitatis, & in hæc immensæ
charitatis flammâ sese per admirandas impenetrabiles ac innu-
merabiles operationes diffundunt in credentes, vel saltem SPI-
RITUI SANCTO non morosâ contradictione vel blasphemiâ
resistêtes, beneficia, summæ calidissimæq; benignitatis ac svavi-
tatis apud Sanctos monumenta, tam persevera, maximeq; for-
midanda quibuscunq; rebellibus hostibus constare Sanctissimi
SPIRITUS exacerbati judicia, irarumq; cœlestium signa, terribi-
lia supplicia. Nullum *regenerationis* spiritualis beneficio augu-
stius, quippe quam *justificatio & sanctificatio* gratiosa concomita-
tur, ipsa autem *glorificatio*, & in beatitudinis cœlestis basilicam
introductio, ipsaq; adeò vita æterna consequitur. Quis au-
tem nostræ regenerationis Autor? SANCTUS ille SPIRI-
TUS. Nec enim nisi *quod genitum est ex Spiritu, Spiritus est*.
Sed non minus formidanda Sancti Spiritus in hostes sunt
judicia, quàm pretiosa reverentibus sanctissimi Numinis
sunt, quæ recusere nunc non licet, SANCTI SP. beneficia.

ß

Quia

Quia n. SPIRITUS S. mundior est oculis, quam ut videat malum,
 & aspicere molestiam non potest, quia est Deus amulator & ultor Do-
 minus, ultor Dominus & vehementer excandescens, adversariis suis
 & servans ipse hostibus suis, ante indignationem ejus quis consistet,
 & quis stabit in furore ira ejus? Exemplum grave præbuit olim
 Isaias c. LXIII. 10. Israelita, inquit, rebellarunt & dolore af-
 fecerunt SPIRITUM SANCTUM CHRISTI (Angeli faciei Domini)
 Quem sc. Moses appellat Deum excelsum, Jehova Deum Spi-
 rituum, Deum omnis carnis irritationis Israeliticæ objectum,
 Jesaias appellat Spiritum non Sancti: sed sanctitatis, non Mo-
 sis: sed Angeli Redemptoris, i. e. CHRISTI, illum sc. Spiritum
 Sanctum, qui, quia à Filio æquè primò immediatè ac à Patre
 procedit, & ab utroque mittitur, appellatur SPIRITUS San-
 ctus CHRISTI, qui positus dicitur in medio Populi Dei, v. 11. qui,
 Israelem quietè deduxit velut jumentum descendens in convallē, qui
 ascendere fecit eos de mari, cum (Mose) Pastore gregis sui. Ita JESA-
 IAS agnovit SPIRITUM S. consonante Stephano Act: 7. 51.
 Vos semper resistitis SPIRITUI S. sicut Patres vestri. Quomodo
 autem ad illas irritationes habuit SANCTUS SPIRITUS?
 Id verò proximè sequitur sc. SPIRITUS SANCTUS, illa re-
 bellione irritatus conversus est Israelitis irritantibus in inimicum
 imò contra hunc perseveranter rebellem pugnavit. Hoc ut ne
 vobis fiat, ad fidem, fideique confessionem interest ò dilectissi-
 mi. Interest ad fidem Catholicam, quam nisi quisque cre-
 diderit salvus esse non poterit, ut SPIRITUM SAN-
 CTUM, cujus honori dies hos festos agimus, & hanc scripti-
 one reverenter litamus, unum illum & æternum DEUM Pa-
 tri & Filio consubstantialem, & personam ad eò divinam à
 Patre & Filio distinctam, quin æternum Patris & Filii Spi-
 ritum, cum Patre & Filio creatorem ac omnium creaturarum
 ex æquo Patrem, firmo pectore credatis, nec vel substantiam
 (cum Arianis Evnomianis Macedonianis & quibuscunq; clas-
 sis ἐν ἑσθίῳ τῶ διαρρήτων πνευματομάχων) separetis vel Personas (cum

Samo-

Samolatenianis Sabellianis Photinianis Servetianis, quam hodie thesin defendunt Sociniani, non tam divinam essentiã Sancti Spir., quàm personam distinctam negantes) *confundatis*: sed & postquam constat ex scripturis, hanc in unã divinitate personam peculiari ratione appellari SPIRITUM & quidem æquè FILII ac PATRIS, imò mitti æqualiter à Filio, prout à Patre (cum nec Pater à Filio, nec Pater & Filius ut Deus à Spiritu S. mitti, nec Filius Spiritus Sancti dicatur) quin Spiritus S. quicquid annunciat, accipere à Filio, clamante: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, in simplicitate fidei de SP. S. emanatione naturali, quam *Processionem* vocamus, à Patre & Filio acquiescatis, & plus ultra de invisibilibus majestatis Sancti Spiritus nihil affirmetis: sed cum timore & tremore directã ad ipsum Sanctum Spiritum precum formulã qualis illa. *Veni Sancte Spiritus!* & æquali cum Patre *δοξολογία Gloriam* dicentes Patri & Filio & Spiritui S. vel cum Spiritu S. (quod concoquere cum non possent Eynomiani, & Ariani prout neutrum ferre potest Spiritus Photinianus; postularunt *gloriam dici Patri per Filium, in Spiritu S.* materiamque dederunt Basilio M. integris libris causam hanc de usu particularum in formulã glorificationis perorandi) Majestatem Trinitatis & in hãc Sancti Spiritus veneremini, controversiam de tempore & jure additæ Symbolo Nicæno-Constantinopolitano vocis: **FILIOQUE**, velut ad fidem nihil attinentem (cum prout ante seculum 7. creditum dogma fuit etsi symbolo vox defuit: ita licet Symbolo nunquam vox accessisset, credi nihilminus & potuisset & debuisset) disceptationi scholasticæ relinquentes. Sed & post fidem rectè fundatam interest omninò, & inprimis ad nostrum Academicorum ordinem, ne per quamecunque *amaritudinem vel excandescentiam vel maledicentiam contristemus SPIRITUM S. per quem sumus obsignati in diem redemptionis*, quin potius induamur ut *electi Dei, Sancti & dilecti vi-*

*scribis miserationum, benignitate, ira cohibitione, sufferentes alii
alios, & condonantes vobis mutuo, si quis adversus aliquem habuerit
querelam: SICUT CHRISTUS CONDONAVIT VOBIS
ITA & VOS. ET PAX DEI sit gubernatrix in cordibus nostris ad
quam etiam vocati sumus in unum corpus. In æternam Disci-
pulorum ipsorumque Apostolorum laudem exit, quod
sermonum Paschaliū materia non fuerit nisi de JESU
Nazareno. re verbisq; potentissimo Propheta, morte damnato, re-
suscitato, de solis illis, quæ ad regnum Dei spectant, quibus & dies illos solennes,
& integram quadragenam ad usq; solemne ascensionis consecraverunt, quia
laudantur, quod perduraverint CONCORDITER in precibus & supplicationibus. Utinam
intra parem Colloquiorum sanctitatem & Concordiam nostra quoque
constitissent Sacra Paschalia! Utinam vel nunc saltem de nobis ex vero dicere
liceret, Cum advenisset dies Pentecostes erant omnes concorditer in eodem loco:
ut sic quoque Concorditer convenientibus, & in precibus perdurantibus, nobis om-
nibus competeret, quod sequitur: REPLETI SUNT OMNES SPIRITU
SANCTO! SPIRITUS S. spiritus Charitatis est, imò quia Deus est, dilectio est.
Per Spiritum Sanctum eharitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Veniemus, ait Ser-
vator imò mansionem faciemus apud illum qui diligit me. Quomodo autem pot-
est diligere DOMINUM JESUM, qui non diligit proximum. Agite, quot-
quot in tempesta planè, parumque eminentiori ordini decorà fermentatione
estis collisi, Coite in templo Concordiæ, pacificimini fidelis ἀμυσίας
lege. Redemptor generis humani PACEM nobis Testamento legavit. Hoc a-
gite, ut compositis illis fluctibus novâ hæc Academia penè suis sedibus con-
vulsa gaudeat deinceps serenitate, ad quod obtinendum peculiarem nos operâ
navaturos deinceps, nec Senatū Academicum suo hic defuturum officio,
pacti non ita pridem in confesso nostro sumus, id acturi, quò minor seges &
materia deret Scandalorum Academicorum, nec vel ipsa fama vel obscurorum
Virorum Epistola reperiat injuriarum rixarumq; publicarum ad extraneos
mittendarum argumenta. Sanè permisuri non sumus, ut quicquam contra
justitiæ Numen judiciiq; vigorem fiat. Consistit in medio juris publici tutela.*

Regat autem nos omnes SANCTUS ille SPIRITUS: Exaltatus

ad dextram Patris JESUS effundat illum super

Senes & Juvenes!

PP. Sub Sigillo Rectoratus Rostochii.



Samosatenianis Sabellianis Photinianis
hodie thesin defendunt Sociniani, non t
Sancti Spir., quam personam distinctat
datis: sed & postquam constat ex scriptu
vinitate personam peculiari ratione ap
& quidem æquè FILII ac PATRIS, imò n
lio, prout à Patre (cum nec Pater à Filio
ut Deus à Spiritu S. mitti, nec Filius Spir
quin Spiritum S. quicquid annunciat, acc
te: *Omnia quæ habet Pater mea sunt*, in simpl
emanatione naturali, quam *Processionem*
& Filio acquiescatis, & plus ultra de in
tis Sancti Spiritus nihil affirmetis: sed
more directâ ad ipsum Sanctum Spiritu
qualis illa. *Veni Sancte Spiritus!* & æquali
Gloriam dicentes Patri & Filio & Spiritu
S. (quod concoquere cum non possent B
ni prout neutrum ferre potest Spiritu
ftularunt *gloriam dici Patri per Filium*
teriamque dederunt Basilio M. integris
de usu particularum in formulâ glorific
Majestatem Trinitatis & in hâc Sancti S
controversiam de tempore & jure addi
no-Constantinopolitano vocis: FILIOQ
nihil attinentem (cum prout ante sec
dogma fuit etsi symbolo vox defuit:
nunquam vox accessisset, credi nihil m
debuisset) disceptationi scholasticæ reli
post fidem rectè fundatam interest omn
nostrum Academicorum ordinem, ne
amaritudinem vel excandescantiam vel male
mus SPIRITUM S. per quem sumus ob sign
tionis, quin potius induamur ut electi Dei,

B. 2.

s, quam
essentiã
) *confun-*
unã di-
RITUM
ter à Fi-
& Filius
dicatur)
, clamã-
de SP. S.
à Patre
majesta-
e & tre-
formulâ
δοξολογία
n Spiritu
& Ari-
nus; po-
S. ma-
am hanc
orandi)
remini,
o Nicæ-
d fidem
editum
ymbolo
uisset &
Sed &
imis ad
cunque
ontriste-
redem-
lecti vi-
sion.

